

FLORA.

N^o. 21.

Regensburg. Ausgegeben den 30. Juni. 1862.

Inhalt. W. Nylander: Adhuc circa Parmeliam colpodem. — J. K. Hasskarl: Ueber die Chinakultur auf Java. — Jul. Sachs: Mikrochemische Untersuchungen (Schluss.)

W. Nylander: Adhuc circa Parmeliam colpodem.

Vidi observationes meas paucas, in Flora h. a. p. 71 expositas, circa Parmeliam colpodem haud omnino placere cl. Dri. Stizenberger. Horrescens percepit, me „misera achromopsia,“ ut dicit, vel nescio qua visus infirmitate miseranda laborare, nec me posse dignoscere quid est albidum nec ne¹). „Was ist nicht alles weisslich in der Welt (und dann meistens auch bloss-weisslich)“ statuit cl. Stizenberger (Flora h. a. p. 72). In Parmelia colpode thallum absolute vult „pallide viresentem“ et minime negavi ei aliquantulum obsolete viresentis, etiam annuentibus oculis meis infirmis, interdum forte adscribi posse, at vulgo thallus huic licheni coloris est accurate ejusdem ac in Parmelia physode.

¹) Forsan fas sit hic memorare aliunde aliter judicari descriptiones: meas, et tales haud paucas jam edidi, non solum botanicas, sed adhuc zoologicas, neque unquam aliquid antea audivi de „misera achromopsia“, qua videndi facultas mea conturbata esset secundum Doctorem Badensem. Terrorem sane mihi injiceret diagnosis ophthalmologica Stizenbergiana, sin judices in re de qua agitur legitimis animis aliquatenus firmavissent. Quoniam verisimiliter Dr. Stizenberger judicia botanicorum aliorum quam eorum, qui Massalongianae sunt scholae, repudiaret, videre possit ex. gr. Stainton The Entomologist's annual for 1855, p. 65. — Quod ad colore pallidum adtinet, animadvertatur, eum non idem esse sc si diceres dilutum, sed colore pallidum exprimere ex. gr. colore vulgarem cutis humanae.

Explicationem *forsitan* dare ei lubet verborum „sed quod ad artem criticam utriusque scholae res longe aliter se habet.“ Hoc sine dubio vere, at non satis explicitum. Si „altera schola“ est Massalongiana, sane „artis criticae“ decentis in ejus documentis exempla redundant. Talia eximia inveniat Dr. Stizenberger ex. gr. apud Trevisan in Flora 1861, p. 26, in Körber Parerg. p. 142, et copiosissime in scriptis Friesianis; in ea schola „ars critica“ ita apud certos auctores injuriis constituitur, quae valde commode loco argumentorum adhibentur, et simul criterium summum sistunt sententiae subjectivae vel arbitrariae (ut „mihi videtur,“ „crediderim,“ persuasum habeo,“ „mihi displicet,“ etc.)

In *Parmelia colpodes* sporae demum conspiciuntur formae omnino ut in *cristulata*, nec ceteras discrepantias constantes invenire contigit, quare satis certum est ne specie differant et ne sit vix *cristulata* quidem varietas perquam notabilis. Apothecia magna aut mediocria aut parva dicuntur comparata cum magnitudine thalli et comparatis apotheciis specierum vicinarum; et sic regula est in aliis partibus quoque scientiae naturalis ab auctoribus optimis observata, ni nimis fallor.

Haud bene Dr. Stizenberger „malevolum“ aliquid de-
textit in verbis meis circa indicationem ejus mendosam „paraphyses conglutinatas“ esse. Dicit id sistere idem ac meum „quelquefois elles sont confondues entre elles.“ (Nyl. Syn. Lich. p. 22), at errat Dr. Stizenberger (*conglutinatus* non significat *concretus*) et citare debuerat, sicut *huc accommodatas*, *lineas sequentes* (l. c.) „elles sont remplacées, dans plusieurs genres, par des cavités cellulaires étroites creusées perpendiculairement dans la substance du thalamium,“ quod ex. gr. de *Parmelia* genere valet. Si inventum „miserae achromopsiae“ est valde singulare, sane haud minus singulare est inventum *malevolentiae* in verbis, quibus *thalamium* edixi esse accuratius definiendum.

Ueber die Chinakultur auf Java.

Unter Bezugnahmē auf das, was im vorigen Jahrgange dieser Zeitschrift pag. 224 et 608 etc. hierüber bereits gesagt ist glaube ich Ihren Lesern nicht vorenthalten zu dürfen, was der zweiten Kammer der holländischen Generalstaaten von Seiten

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: [45](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Adhuc circa Parmeliam colpodem. 321-322](#)